



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 74. Magni Socinianorum progressus in Polonia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

filici nomine ab antiquis Valachiæ regulis genus suum repetebat, seque Intitulæ Samii in Ægæo Despotam, ac Pari Marchionem appellabat, apud Polonos Proceres, apud quos plurimum auctoritate valebat, tantum effecit, ut collectis undique copiis tandem cum suo exercitu Moldaviam invaderet, cui Provinciæ tum quidam Regulus nomine Alexander præerat, ob inauditas crudelitates populo suo maximopere exofus: hunc igitur Lascus, qui ex ceteris Proceribus præcipuus sese Jacobo adjunxerat, die decima octava Novembris adoriebatur, initoque certamine, quamvis viribus impar esset, ipsius tamen exercitum fudit, ac Tyrannum Regno suo exiit, totamque ejus ditionem Jacobo possidendam tradidit: porro novus hic Princeps mox pecunia in omnes Purpuratos, seu Bassas largiter profusa Constantinopolim profectus a Solimano impetravit, ut in novo suo Principatu confirmaretur,

§. LXXIV.

Magni Socinianorum progressus in Polonia.

Bibl. Antitrinit. in epitome Joannis

Cum Sigismundus Augustus omnibus, qui sese ab Ecclesiæ Catholicæ unitate segregabant, quamlibet sectam profitendi libertatem concessisset, Sociniani, seu

feu Unitarii hac Regis indulgentia tuti cum ceteris hæreticis Societatem inibant, donec tandem hi de abominandis Socinianorum erroribus edocti omne cum illis commercium respuerent: itaque novi hi Sectarii a ceteris exclusi pluribus in locis proprias suæ factionis Ecclesias erigebant, atque ab Anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo usque ad annum millesimum quingentesimum quinquagesimum quintum tantopere suorum numero excreverant, ut Pindezovæ, Racoviæ, Lublini, Luclaviæ, Kioviæ, Cracoviæ, Novogardiæ, Volniæ, & alibi plures ejusmodi Ecclesias stabilirent, suamque Metropolitanam in urbe Cracoviana præter quoddam Collegium, ac typographiam erigerent: suas tamen Synodos Pindezovæ celebrabant, quapropter haud amplius Ariani, sed Pindezovienses appellabantur, ac sensim suorum potentia adeo prævalebant, ut in Conciliabulis, quæ regnante Sigismundo Augusto unacum spurixæ Reformationis affeclis in Polonia habebant, semper soli dominarentur: insuper Olesnieskus, cui Pindezova parebat, vir ingenio acer, atque ad quævis audenda proclivis juncta cum Stancaro opera Sacerdotes, & Religiosos aperta vi infectabatur, eis-

Hist. Eccles. Tom. XLIV.

T

que

Sæcul XVI.
A.C. 1561.

Stoinii

p. 183. &

seq.

Hist. Ref.

Eccl. Pol. c. 4.

Stoupp Re-

lig. des Ho-

landois.

Sæcul. XVA C 156

que Pindezova ejectis sese omnium fidei desertorum Patronum palam declarabat, ejusque temeritate animati Blandratus, Gregorius Paulus, Crovicius, Statorius, Schomaunus, Brelus, Triacastus, Lascus, alique plures Pindezovam contendebant, ut Sanctissimæ Triadis mysterium impugnantes ibidem Ecclesiam conflarent, quæ postea Ministrorum, qui eidem præerant, petulantia, necnon rerum ibidem gestarum raritate adeo celebris evaserat, ut de hac hæreticorum colluvie in Polonia non minus honorifica haberetur mentio, ac quondam de Athenis in Græcia fiebat.

§. LXXV.

Primum Antitrinitariorum conventiculum Pindezovense.

Hist. Ref. l.c Postquam novi Ariani cum Protestantibus Religionis certamen inire postulabant, primum conventum Anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto Pindezovæ sub Olesnieski auspiciis habuerunt, statuentes, ibidem Fratrum Moravorum, qui Valdenses dicebantur, Anapabstitarum, Hussitarum, pluriumque aliorum doctrinam, Religionem, mentemque esse examinandam.

§. LXXVI.